

DISSE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TARDA CONCOCTIONE.

8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
TARDA CONCOCTIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SWIFT,

HIBERNUS,

AD DIEM XXIV JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS,

Sincerum est nisi vas quodcumque infundis accescit.

Hor.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
APUD ROBERTUM ALLAN:

MDCCC.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TARDA CONCOCTIONE.

JOANNE SWIFT AUCTORE.

IN omnibus fere morbis quibus gens humana patet, ventriculus plerumque afficitur, et cibum tarde concoquit. Ventriculi quoque primaria affectio occurrit, unde multa mala, neque levia, neque sanatu facilia, proveniunt.

Hic morbus a ventriculi debilitate oritur, et indiciis, quæ sequuntur, insignitur. Nulla fere cibi cupiditas adest, nausea et sæpe vomitus

A

ægrum

ægrum vexant. Ventriculus sæpe aëre subito distenditur, unde ructus plurimi. Liquor oleosus, vel acidus, et nonnunquam cibus concoqui cœptus, ore rejiciuntur. Dolor urens ventriculum et gulam afficit. Alvus ut plurimum, astricta, rarius laxa, est. Languor et mœstitia plerumque adsunt.

Ut hunc ventriculi morbum eumque rationem curandi intelligamus, primum de cibi concoctione differendum. Notitiam vero plenam non habemus mutationum quâs cibus in ventriculo et intestinis subit, neque de hac vel aliis corporis functionibus ut de re chymica agere possumus. CELSUS observat, “ Quomodo spiritus aut cibus vel deferatur vel
 “ digeratur ne sapientiæ quidem professores scientia comprehendunt, sed conjectura prosequuntur.” Et fortasse nunquam comprehendent.

Multa sacro tegit involucro natura, nec ullis
 Fas est scire quidem mortalibus omnia.

LUCRET.

Postquam cibus in os receptus est, dentibus comminutus, et salivæ admixtus, in ventriculum propellitur, ubi liquore gastrico mixtus aliquamdiu

diu detinetur, atque motu ventriculi leniter agitur. Succus gastricus liquor pellucidus et subsalsus est, et lac conspissat, (notatu dignum est, ventriculum ipsum eundem præstare effectum) feceritur a glandulis quibusdam ventriculi, vel potius, ut nonnulli putant, ab arteriis minimis quæ ventriculi tunicam intimam, seu villosam, formant. Ex multis experimentis patet, cibum in succo gastrico solvi; nam hic liquor extra ventriculum, ad gradum caloris qui ei in corpore erat, calefactus, alimenta nonnulla, præsertim ea, quibus animal, a quo sumptus erat, vesci solitus est, solvit. Succus gastricus quoque fermentandi et putrescendi negotio repugnat; namque massa alimentorum, ex carnibus et frugibus confecta, et similis ei, quæ hoc liquore solvitur, aquæ admixta, et calore, qualis in corpore est fota, extra corpus continuo fermentescit, plurimum aëris exhalat, primo acefcit, deinde putrescit. Quanquam hoc male concoquentibus quoque accidit, tamen in sano homine, vel extra corpus in liquore gastrico, solvuntur alimenta sine fermentatione, aut putredine, nisi excipias fermentatio-

nem leuem, quæ in ventriculo hominis post fruges assumptas nonnunquam incipit.

Succo gastrico alimenta in pulpam mollem solvuntur, quæ in hoc statu per pylorum in duodenum et reliqua intestina transit. Ibi cum bile et succo pancreatico miscetur, quorum ope pars hujus massæ corpus alendo apta in chylum mutatur. Chylus, et alia fluida, dum per intestina motu peristaltico propelluntur, vasis lymphaticis absorbentur, et massa, quæ restat, dejicitur.

Si tenuia sunt alimenta, per intestina transeunt, priusquam mutationem necessariam subierint, et quanquam absorbentur, corpus haud bene alunt, et reficiunt.

Alimenta, ut carnes et frumentum, e ventriculo vomitu rejecta, postquam ibi manserunt per spatium duarum, vel trium horarum, quasi cocta videntur. Unde medici olim cibum per calorem digeri credebant, alimenta autem cum aqua calida mixta cito putrescunt. Nonnulli cibum putrescere, alii fermentescere, putarunt; sed hoc sano homine minime accidit; namque dum concoquitur cibus;

aër non erumpit, ut inter fermentandum, neque profecto adest ullum signum hujus mutationis. Ventriculis quorundam animalium magna vis est; nam tubi ferrei in eos demissi fracti sunt. Præterea nonnulla calculos devorant, quapropter philosophi haud pauci putavere, cibum vi ventriculi in partes minutissimas conteri, et deinde absorberi. Porro de magna vi ventriculi computationes fecere. Tritura autem massa alimentorum non mutatur, et ventriculis plerorumque animantium, vis musculosa non est. Sæpe enim fructus maturi ut uvæ in hominibus sanissimis integri cum stercore expelluntur. Præterea, caro et alia alimenta, in tubis perforatis inclusa, in ventriculis animalium facile solvuntur. Actio chymica solum accidit inter partes minutas materiei, nullo spatio sensibili interposito. Cibum igitur bene comminutus sit, necesse est, ut in liquore gastrico facile solvatur. Animalibus, autem, validis ventriculis instructis, defunt dentes. Cibum magnis massis devorant, ad eum terendum magna vi ventriculi opus est, præterea ventriculi eorum parvi sunt,

si ergo in minutas partes non attritus fuerit cibus eorum, (aliter tardissime concoqueretur) fatis nutrimenti ad corpus alendum non præberetur. Dentium vice ventriculi validi funguntur. Fortasse per calculos, quos hæc animalia ingerunt, facilius comminuitur cibus, non tamen prorsus necessarii sunt.

Ex his concludere fas est trituram ad alimentorum concoctionem opus suum conferre. Sed, cibo comminuto, vim musculosam ventriculo ut alimenta concoquat, minime necessariam esse.

Alimenta nostra ad fermentandum et putrescendum proclivia sunt. His mutationibus aqua omnino necessaria est, calor quoque et libera aëris admissio, admodum utilia. Aëre autem excluso quodammodo mutantur alimenta. Propter ventriculi calorem et humiditatem, cibus in eum receptus cito fermentescit si succus gastricus ita deficiat, vel depravetur, ut non ad solvendum sufficiat: quod sæpe accidit, indeque morbus quem persequimur oritur.

Ex alimentis fermentatis vel putrefactis, et ex consensu ventriculum inter et omnes corporis par-

tes ipsumque animum, oriuntur omnia hujus molestissimi morbi indicia. Aër evolvitur, unde ructus plerumque foetentes proveniunt, sed si non ore, vel alia via emittitur, ventriculum distendit et dolorem excitat. Acor dolore urente gulam afficit. Cibis corruptus ventriculum irritat, nauseam, vel vomitum, vel rejectionem cibi corrupti ciet. Nonnunquam quantitas cibi utcumque parva vix retineri potest. Massâ corruptâ intestinis traditâ, alvus fluere incipit. Sed hoc raro accidit. Lingua plerumque vel arida est, vel mucro albedo obducitur. Cibis ut plurimum parum appetitur, ob ventriculum onere cibi non concocti ægre se liberantem. Sæpe cibi cupiditas excitatur acri quodam ventriculum stimulante, et sensum inanitatis movente.

Quanquam verisimile videtur hunc morbum ex defectu vel depravata qualitate succi gastrici pendere; tamen constat defectum vel depravationem hujus succi effectum esse imbecillitatis ventriculi, nam omnibus medicis notum est, glande quavis morbo affectâ secretionem non amplius ut antea perfici,

fici, et remedia, quæ hujus organi fibras musculofas roborant, vel vasa fecernentia excitant, ad sanam succi gastrici secretionem restaurandam conferre. Quicquid, igitur, ventriculum debilitat, tardæ concoctionis causa esse potest.

Ex iis, quæ ventriculum lædunt, nonnulla in ipsum recipiuntur, alia totum corpus afficiunt.

Sub primo capite enumeranda sunt cum medicamenta tum alimenta amara; quæ caute adhibita non solum ventriculum, verum etiam totum corpus roborant. Sed experientia docet, ventriculi actionem brevi iis debilitari. Quomodo hoc fiat, explicatu difficile est. Nonnulli aliquid vis narcoticæ his rebus inesse, opinantur. Ab usu immodico infusi herbæ Theæ sæpe oritur ventriculi morbus; hoc ei insolitis somnum haud raro adimit, nonnullis post longum usum manus tremere facit, et ventriculo nocere brevi invenitur quoniam lac (cujus loco infusum Theæ, præsertim in urbibus nostris adhibetur) difficilius quam antea concoquitur, fortassè aqua calida, tam magna copia, hausta, fibras musculofas ventriculi infirmat.

Ventriculum cibo nimis replere concoctioni sæpe nocet : nam distensio immodica cum huic tum aliis corporis actionibus injuriam affert, porro, succus gastricus solvendæ magnæ cibi assumpti quantitati, vel compescendæ ejusdem ad fermentandum proclivitati, impar est. Alimenta quoque diversa et dissimilia simul assumpta citius et vehementius fermentescunt.

———— at simul assis

Miscueris elixa, simul conchylia turdis ;

Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum

Lenta feret pituita. ———

HOR.

Homo corpore sanus raro plus justo simplicis cibi assumit, ope condimentorum quantitate justa majore multi sese onerant.

Vomitus arte motus concoctionem lædit, namque inter vomendum convellitur et debilitatur ventriculus, invertitur intestinorum motus, fel in ventriculum copiose impellitur, quem vacuum ad vomitionem brevi iterum ciet. Vomitus nullo medi-

camento vomitorio adhibito ab onere cibi crudi oritur, hic effectus non causa morbi, et, nisi violentior fit, morbumque aggravet, plerumque prodesse solet.

Saliva et bilis cum cibo commixtæ concoctionem adjuvant, quæ defectu eorum difficilior redditur. Bilis solutioni alimentorum, oleosa cum aquosis probe commiscendo, infervit. Nicotiana sive manducetur, sive fumus ejus inhaletur, salivam multam egeri facit, et fortasse hoc modo concoctionem impedit. Præterea, fumus ejus, aut infusum in intestina recepta, dolores vix ferendos per gulam, vomitum, et alvi purgationem, violenter excitant. Ubi primum fumus ejus inhalatur, eundem habet effectum; forsitan ex imperitia ad ventriculum descendit; nec non inter manducandum succus sæpe deglutitur. Nicotianam ventriculo nocere, ex hoc concludere fas est, quod cibi cupiditatem adimat.

Medicamenta omnia, quæ corpus vivum torpidum reddunt, ventriculum debilitant. Inter hæc opium nunc nimis adhibitum maxime nocet. Aci-

da in ventriculum et septum transversum magna vi sedante agunt, singultum statim compescunt, incaute adhibita ventriculum admodum lædunt.

Adeps et olea difficulter concoquuntur; in ventriculo in acorem ruunt: et nonnulli, qui butyro nimis utuntur, prava digestionem affliguntur.

Condimenta ventriculum stimulant, et sic concoctioni, si debilior est, opitulantur; succi gastrici copiosorem secretionem efficiunt, et appetitum accuunt. Sed debilior actio ullius corporis partis stimulis excitatæ, brevi subsequitur; quare, unusquisque stimulus, ut eundem effectum habeat, priore potentior sit, necesse est, nisi post longum intervallum sit repetitus: hinc perspicere licet aromata, et iis similia, actioni ventriculi nocere, et corpori sano vix necessaria esse. Multis qui se non exercent ad concoquendum cibum opus sunt stimulis, namque semper de ventriculo conqueruntur.

Spiritus distillati et vinum (nisi parca potum) ventriculum et corpus totum infirmant. Vinolenti multis morbis obnoxii sunt, debiles et tremuli fiunt

præfertim si solito stimulo unius diei spatio carent,
 hebescit quoque mens, his vitiis corpus onu-
 stum

—— animum quoque prægravat una
 Atque affigit humo divinæ particulum auræ.

HOR.

Nonnulla quæ totum corpus afficiunt concoctio-
 ni valde inimica sunt, imprimis vita sedentaria.

Quantum animali exercitatio corporis prodest,
 omnibus notum est. Sanguinem per vasa cor-
 poris minima libere fluere facit, ideoque secre-
 tiones excretionesque copiosiores reddit, cum ani-
 mum, tum corpus reficit. Post debitam exerci-
 tationem cum majore utilitate studiis incumbere so-
 lemus. Homines literis dediti præfertim qui per
 diem publice funguntur officiis, plerumque mala
 valetudine laborant, ob inertiam et ob somnum
 non nisi sera nocte captum, non tamen verifimi-
 le videtur, studium, seu exercitationem animi
 corpori nocere.

Tertius animi affectus, nempe iram, dolorem, vel
 depres-

depressionem aut solitudinem, concoctionem depravare, certe cibi appetentiam sæpe tollunt ; cujus ratio haudquaquam reddita est.

Aër humidus et frigidus tardæ concoctionis haud infrequens est causa, plebi præsertim, quæ frigus ut causam omnium fere malorum accusat, aër humidus halitum cutis impedit, et hanc ob causam nonnullæ aves hyeme pinguescunt. Sub aëre humido homo languidus fit, deficit appetitus, corpus ejus quasi onere gravatur, et ventriculus cibum male concoquit, omnes aëre humido quodammodo afficiuntur, hypochondriaci maxime. Pauperes urbium, loca humida plerumque habitant, et aërem impurum respirant, ideoque hoc morbo obnoxii sunt.

Totum corpus diæta parca aut insalubri debilitatur, ideoque ventriculus cibum male concoquit. Frumentum saluberrimum est iis qui se strenue exercent, admodum robusti sunt multi quamvis carnem perraro comedunt, hi autem per totum diem aëre aperto operantur, et fortasse ad facilem digestionem vegetabilium multa exercitatione opus est ; infirmis et carni (quæ multo facilius concoquitur

et

et plus nutrimenti præbet) affuetis haud convenit hæc diæta. An multa caro, quam in his regionibus (ut ab advenis omnibus notatur) consumimus, necessaria fit, ex mala consuetudine, vel ex tarda concoctione humiditate cœli facta, ignoramus.

Nonnunquam dyspepsia ab alvo tarda oritur. Alvus quoque interdum dura observatur; a cibo parco, non more solito intestina stimulante, vel ab inedia vel a tarda digestionem, dyspepticorum enim appetitus deficit; hinc alvi astrictio vel effectus, vel causa, morbi esse potest. Alvus a defectu fellis nonnunquam comprimitur: nam hoc intestina stimulat. Stercus in intestinis detentum nonnunquam acre fit, et ventrem fluere facit.

Phlegmatici et melancholici, quam alii, ad tardam digestionem proniores sunt; præterea tales homines sedentariam vitam, quæ causa depravatae concoctionis frequentissima est, plerumque degunt.

Pueri, nisi in urbibus vitam degentes, cibum plerumque facile concoquunt. Dyspepsia eos ætate

pro-

profectiores, quippe qui causis magis sunt obnoxii, præsertim affligit. Multi senes, quorum affiones corporeæ torpescunt, male digerunt, et stimulis egent. Helluones, et qui misere eodem tempore paupertate et mala valetudine laborant, præcipue hoc morbo affliguntur. Hi ob inediam patiuntur, illi pœnas persolvunt voracitatis. Apud rusticos rarò, inter oppidanos frequenter reperitur dyspepsia; hi in aëre impuro et odore malo a vicorum luto vivunt, unde color eorum pallidus est. Propter causas jam memoratas dyspepsia hyeme quam æstate frequentius occurrit.

Consilia, quibus morbi sanatio efficitur, tria sunt.—1^{mo}, Causæ remotæ evitandæ sunt. 2^{do}, Signa morbi molesta sublevanda. Et 3^{tio}, Venter roborandus est.

Primo consilio neglecto, frustra morbo mæderi conamur, et sæpe irriti redduntur medicorum conatus pertinacia ægrorum, qui, quanquam brevi a voluptatibus noxiis abstineant, plerumque citius
ferius

ferius ad eas redeunt, et multi (præfertim mero addiæti) inter curandum iis clam fruuntur.

Dyspepticus omnes diætæ errores evitet. Cibo ex animalibus confecto potissimum utendum: solidus jusculis anteponeendus; quoniam hæc citius fermentescunt. Pleraque vegetabilia recentia evitanda, namque ad fermentationem acetosam nimis cito tendunt. Inter prandendum aquam præ liquoribus fermentatis bibendam nonnulli suadent: si id fit, tepida fit, sine dubio oportet, lenis enim calor ad concoctionem confert, verum forsan cerevisia melius huic consilio responderet; præfertim ea quæ Londini præparatur, namque lupulorum amaritudo fermentationi obviam it, vel multum officit. Sal una cum cibo adhibitus bene stimulat, solus stimulus est forsan quo utendum. Quoniam probabile videtur vim ventriculi concoctricem longa inedia imminui, dyspepsia laborantes, intervallis quam antea brevioribus comedant. Quamvis concoctio optime promovetur quiete. ut experimenta demonstrant, maximam cibi partem nocte adventante assumendam, videretur, sic tamen fortasse

ventri-

ventriculus cibi onere opprimeretur, quapropter hoc tempus omnium minime idoneum est; hinc noctes infomnes, infomniaque terrifica, oriuntur: a cœnis igitur nocte sera assumptis abstineat æger.

Post pastum quietus maneat, neque scribendi vel legendi causa sese antrorsum inclinet.

Exercitationem nunquam negligat; a subitis aëris mutationibus caveat; indusium laneum induat, quod a frigore defendere, et halitum cutis elicere, potest. Cito lectum petat, diluculo surgat.

Secundo, Quæ molesta sunt sublevare oportet. Appetitus imminutus, dolor, et ponderis, ventriculum opprimentis, sensus, et ructus crebri, qui a cruditate stomachi vel fordibus oriuntur, optime vomitu levantur. Hic ventriculum onere liberat, sudationem, et liberam sanguinis distributionem ad corporis superficiem, (partim fortasse ob magnum nixum, qui vomitum comitatur, partim ob consensum cutem inter et ventriculum) promovet. In his casibus vomitus optime ipecacuanhâ movetur. Levamen tamen quod affert vomitus breve est, idemque iteratus nocet; nam ventriculum,

qui motum vehementem et enormem tolerare nequit, debilitat. Ad alia remedia, ad evacuandum ventriculum et intestina, scilicet, quæ alvum cient, decurrendum.

Aciditas ventriculi nonnulla indicia molestissima creat; unde dolore urente ventriculus et œsophagus, torminibus alvus, nonnunquam afficiuntur. Acorem in ventriculo corrigere conandum est medicamentis alkalinis, vel absorbentibus.

Ex alkalinis optima sunt carbonas potassæ, vel sodæ, acidulus, vel carbonas ammoniæ, hæc aciditatem amovent, et optime (præsertim ammonia) ventriculum stimulant. Alkali eorum cum acido quod in ventriculo est, vi chymicæ attractionis conjungitur, et acidum carbonicum separatur.

Hic sane notatu dignum est liquores omnes ex quibus, in ventriculo, acidum carbonicum expellitur, tum dyspepticis, tum aliis, admodum gratos esse, quales sunt vinum, cerevisia Londinensis, et aqua acido carbonico mixta, nuper e lagena, quæ arte subere occlusa fuerat, hausta: sed si diu apertum fuerit

vas,

vas, ingrata et vapida fiunt, ob acidum carbonicum exhalatum.

Ex absorbentibus magnesia usta, alvo assueta, cum re adhibetur. Hæc cum acido ventriculi conjuncta ventrem leniter ciet; nullo in ventriculo præfente, effectu caret. Forfan carbonis magnesiæ tarde cum acido ventriculi conjungitur, ideoque raro adhibetur.

Potio cretacea utilissima est cum acido corrigendo, tum alvo, si laxior est, sistenda. Liqueores mucosi, et aquosi, cardialgiam mitigant, acidum diluunt, et ab ejus actione ventriculum defendunt. Alimenta, quæ ad aciditatem minime proclivis sunt, adhibenda.

Si gastrodynia multum urget, sublevari potest fovendo abdomen aqua calida, vel medicamentis antispasmodicis, nempe, opio, et æthere vitriolico, quæ tamen parcissime usurpanda sunt: nam ventriculum infirmant, alvumque tantam reddunt, et ob aliam magni momenti causam, æger ad notum remedium sæpe recurrit, et usui opii et spiritus distillati assuescit.

Si vomitus a ciborum putredine oritur, conciliandus est infuso chamæmeli vel ipecacuanhâ ; sed si postea persistet, sedandus est, pilula opii, medicamentis, corpus torpidum reddentibus, in alvum datis, haustu effervescente, vel haustu ætheris vitriolici aromatici, vel sinapismo, aut emplastro cantharidum abdomini applicato.

Porro ad morbo medendum pariter atque occurrendum, multum prodest alvi duritiem arcere. Ad hoc, ægro utilissimum erit alvum deponere certa hora quovis die : vel adhiberi possunt medicamenta leniter ventrem ducentia, qualia sunt aloe, quæ intestina crassa (præsertim ubi forma pilulæ datur) potissimum ciet. Nonnullis aloe, ut et alia purgantia resinosa, tormina efficit. Rheum merito magni æstimatur ; quoniam alvum leniter movet, et intestina roborat : interdum tamen tormina creat. Quæ ventrem fortiter purgant omnino rejicienda, quia intestina debilitant, alvumque adstrictiorem reddunt.

Tertio, Ventriculum roborare debemus ; quod ut fiat, remedia præcipienda sunt quæ vel in ventriculum

triculum ipsum, vel in totum corpus agunt. Ex illis sunt acida, quibus parce adhibitis inest vis roborans: nam appetitum acuant; horum eminent acidum sulphuricum, parva dosi multa aqua dilutum sumptum: acidum quoque muriaticum optimum habet effectum, quando cum ferro, quod aliud medicamentum roborans habendum, conjungitur; quibus utile erit addere quamlibet aquam aromaticam, ut potus gratus sit.

Aqua picis liquidæ, et aqua calcis, paucis abstine annis laudata, non amplius hodie æstimantur.

Medicamentis amaris potissimum fidimus. Cortex Peruvianus iis, qui cibum male concoquunt, nonnunquam datur, sæpius colombo, gentiana, aloë, chamæmelon, pulvere vel tinctura: omnia parca manu porrigenda sunt. Hæc medicamenta, vicissim, cum fructu, dari possunt.

Aromata, ut cinnamomum, et canella alba, ventriculum stimulant, flatumque sublevant; sed effectus eorum minime stabilis est, et sæpe repetita morbum aggravant. Aqua chalybeata ventriculum roborat.

Exercitatio ventriculum, pariter atque corpus firmat. Nihil ad salutem ventriculi magis confert quam libera excretio per cutim, quam promovet exercitatio. Defatigatio omnino evitanda est, quare equitatio meliorem habet effectum quam violentior exercitatio. Non multum prodest exercere se intra domum vel in vehiculis clausis. Cum exercitationi nullus locus sit, ad frictionem corporis utiliter decurritur.

Aër apertus frigidus aviditatem ad cibos excitat. Hinc dyspepticum, in agro sæpius esse oportet.

Aquis frigidis uti, si per brevissimum tempus immersum est corpus, tarde concoquentibus prodest, quoniam vasa minima cutis stimulat, unde cutis calet et nonnunquam rubet plerisque statim post hujus remedii usum; sin longius, nocet, nam ea vasa constringit et debilitat.

FINIS.

